

68 Lib. III. Tit. IV. De Clericis non residentibus in Ecclesia, &c.

atque Canonici legitime absentes lucratur Præbendam, sive fructus grossos, est non distributiones extra casus specialiter expressos; ergo.

208 Hinc, quando omnes redditus Capituli consistunt in solis distributionibus quotidianis, duo Canonici in servitio Episcopi exidentes percipiunt distributiones ejusmodi: ne alioquin ipsis suum officium, atque privilegium Jure communi concessum, redderetur inutile: excepta tamen tertia parte, quæ retinet naturam distributionum, ac proinde interestibus accrescit. Garcias part. 3. de Beneficiis, cap. 2. numer. 351. & 353. allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Idemque esse dicendum de Canonico absentibus causâ Studiorum, tenet Garcias lo. cit. n. 353. allegans Declarationem dictæ Sacræ Congregationis, die 13. Septemb. 1595. Quod ipsum, ait, procedere in Canonico legente Sacram Scripturam in publica Universitate, ex Declaratione ejusdem Sacræ Congregationis, 2. Febr. 1597. & aliis hujusmodi casibus.

209 Hinc tamen exipitur casus, quo quis ex legitima dispensatione, Canonicatum & Ecclesiam Parochialem habens, residet in Parochiali, juxta præscriptum B. Pii V. Nam talis distributiones quotidianas lucratur integras, si Canonicatus consistat solum in distributionibus, non habens Præbendam: prout declaravit eadem Sacra Congregatio, atque decrevit Papa, apud Garciam cit. cap. 2. n. 115. & n. 352. asserentem, esse speciale in hoc casu, quod omnes tunc distributiones acquirantur, non deductâ tertia parte: & hoc in favorem curæ animarum, & propter onus residentie Parochialis. Atque conformiter illis limitanda sunt dicta superioribus §. 3. nu. 99.

210 Deinde ex privilegio Apostolico, aut novissimis Constitutionibus Apostolicis, plures gaudent distributionibus quotidianis. Et quidem generatim loquendo, Canonicus absens ab Ecclesia sua ex privilegio Summi Pontificis, potest percipere distributiones quotidianas. Barbosa de Canonicis & Dignitat. cap. 24. n. 13. allegans Geminianum nu. 4. & Franchem nu. 3. in cap. un. h. t. in 6. pluresque alios. Privilegium enim non residendi in aliquo Canonicatu à Papa concessum, idem operatur, ac si Canonicus verè resideret, arg. c. Cum dilectus. 14. & c. Ad audientiam. 15. h. t. Barbosa cit. num. 13. & alii. Nam ad Romanum Pontificem pertinere plenariam Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositionem, textus est in c. Licet Ecclesiam. 2. de Præbend. in 6. & Clem. 1. Ut lite pendente &c. Episcopus verò non potest aliquem excusare à residentia in Choro, nisi in casibus à Jure expressis. Garcias part. 3. de Beneficiis, cap. 2. n. 406. & 407. referens Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Barbosa, ubi supra, & alii.

211 Hoc ipsum exemplificatur, atque declaratur loquendo de nonnullis in specie. Sic quippe Auditores Rotæ Romanæ percipiunt fructus, & Distributiones suorum Beneficiorum in absentia, ac si actualiter interessent Officiis Divinis. Ita concessit eidem Clemens VII. in sua Constitutione 13. quæ incipit: Conventi: & habetur Tom. 1. Bullarii Romani. Id ipsum tradit Barbosa cit. cap. 24. numero 1. & part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 53. num. 155. cum aliis.

212 Similiter Inquisitores Hæreticæ pravitatis habentur in suis Præbendis, & Dignitatibus pro presentibus, & interessentibus: non quidem spectato Jure communi, sed per specialia Indulta Apostolica, ab uno quinquennio ad aliud renovanda. Garcias cit. part. 3. cap. 2. numer. 356. referens Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Barbosa d. et

legat. 53. n. 156. allegans alios. Ubi pariter n. 157. subjungit aliam concessionem Sixti V. die 8. Maii 1590. factam, vi cujus Collector generalis Cameræ Apostolicæ, Subcollector, Advocati, Procuratores, Fideales, & Notarii in causis spoliatorum, eorum officio durante, lucrantur distributiones quotidianas in absentia.

Rursum Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad 213 Limina Apostolorum eorum nomine, vel comitantes ipsos Episcopos ad eadem Limina, distributiones lucrantur ex Decreto S. D. N. Sixti V. Ita Declaratio Sacræ Congregationis Concilii, quam his ipsis verbis refert Garcias cit. part. 3. cap. 2. nu. 349. Idemque docet Fagnanus c. Licet. n. 134. vers. Fallit sermo, & Præbend. Barbosa d. allegat. 53. num. 159. & alii, quos citat.

Insuper Canonici possunt percipere distributiones 214 in absentia, quando eis ex Statuto Ecclesiæ per Sedem Apostolicam confirmato indulgetur, ut absentes in aliquo casu participent de distributionibus quotidianis. Idemque dicendum, si Canonici habeant Indultum Apostolicum vacandi à servitio Ecclesiæ, & nihilo minus percipiendi distributiones. Fagnanus d. c. Licet. nu. 132. & 133. de Præbend. Accedit ratio: quia, licet Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 12. §. Distributiones. de Reform. sustulerit quæcumque Statuta, & consuetudines percipiendi distributiones in absentia, contra Decretum Bonifacii VIII. relatum cap. un. h. t. in 6. non tamen sustulit privilegia Apostolica per Sedem Apostolicam confirmata ex certa scientia, ut cum causæ cognitione. Idque propter duplex vinculum: uti notat Glossa in Clem. Dudum. §. Paella. de Sepultur. citans Joann. Monachum, & Fagnanus cit. c. Licet. n. 59. & n. 132. ac seqq.

Tandem, ut nonnulli alii calus taceantur, de qui 215 bus Doctores hæcenus citati, Canonici obtinentes Præbendam Theologalem non solum possunt percipere fructus grossos sui Beneficii, quamdiu in Scholis docuerint, cap. ult. §. Docentes. de Magistris, junctâ Declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Fagnanus d. c. Licet. num. 114. & 115. Sed etiam diebus illis, quibus actualiter legunt, habendi sunt sicut presentes in Choro, & interessentes; sicque lucrantur distributiones quotidianas; prout declaravit Gregorius XIII. teste Fagnano loc. cit. numer. 116. & 169. & Garcias cit. part. 3. cap. 2. nu. 120. & 121. Quamvis iste n. 122. subjungat, hanc gratiam non competere indiscriminatim omnibus (Jure enim communi spectato, oppositum foret dicendum, arg. cap. ult. junctâ Glossâ §. Integre, de Magistris) sed illis duntaxat, qui ipsam à Sacra Congregatione specialiter petierint, atque impetraverint.

TITULUS V.

De Præbendis & Dignitatibus.

I Ratio continuationis Rubricarum.

DE bonis Clericorum internis tam animi, quam corporis, eorumque officio tractantur priores Tituli: nunc agendum restat de ipsorum bonis externis, nempe de Præbendis & Dignitatibus, seu beneficiis Ecclesiasticis, ex quibus debet residendo, seu eidem deserviendo, honestam suam sustentationem habere valeant, juxta illud I. Corinth. 9. Qui Altari deserviunt, cum Altari participant: ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare, vel negotiari cogantur. Quia verò præ-

§. I. De natura Præbendæ, ac Beneficii Ecclesiastici &c. 69

presens Titulus amplissimam continet materiam, de qua plenos libros quidam ediderunt, ne prolixitas ipsius confusione pariat, opere pretium erit, eundem in diversos Paragraphos dividere.

§. I.

De natura Præbendæ, ac Beneficii Ecclesiastici, hujusque Requisite.

SUMMARIUM

- 2 & 3. Præbendæ nomen sumitur multipliciter.
- 4. Et quid sit propriè loquendo?
- 5. Præbenda, qualiter accipiatur in Rubrica hujus Tituli?
- 6. Beneficium Ecclesiasticum, quid? & n. seqq.
- 7. Est jus spirituale.
- 8. Et quidem perpetuum.
- 9. Differt Beneficium per hoc à Pensione. Ibid.
- 9. De essentia Beneficii Ecclesiastici est, ut conferatur in perpetuum.
- Ly. Perpetuum, quomodo hic sumatur? Ibid.
- 10. In Beneficio Ecclesiastico tria possunt distingui: nempe, Officium spirituale.
- 11. Jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis.
- 12. Ac ipsi fructus percipiendi ex ipsis.
- 13. Beneficium debet conferri personæ Ecclesiasticæ. Ejusque collatio in personam Laici facta, ipso jure est nulla. Ibid.
- 14. Beneficium debet erigi auctoritate Ecclesiæ. Et nun. seqq.
- 15. Et ante consensum Episcopi non est Beneficium, sed res stat in pendenti &c.
- 16. Estque pium Legatum, atque laicale. Et nun. preced.
- 17. Requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur Beneficia Ecclesiastica, sunt sex; & quæ?
- 18. Uno eorum deficiente, Beneficium dici non potest: scilicet, si omnia concurrant, quocumque nomine appelletur.
- Non est vis in nomine, sed debet attendi natura rei. Ibid.

2. Q. Uæritur I. Quid nomine Præbendæ intelligatur, præsertim in Rubrica hujus Tituli? Resp. I. Nomen Præbendæ sumitur multipliciter: uti notat Glossa c. Cum M. Ferrariensis. §. Receiverint. & Abbas ibid. nu. 22. & Felinus nu. 13. de Constitut. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. Gloss. §. 1. nu. 1. & seqq. Vallensis h. t. §. 1. nu. 1. & alii. Primò siquidem Præbenda potest singulariter considerari; ac prout est separata à jure spirituali ipsius Canonice: & hoc modo Præbenda consistit in mera temporalitate bonorum, quæ cuiquam debentur ex redditibus Ecclesiæ propter aliquod Officium. Unde in hac acceptione etiam Laicus, puta Advocatus, Procurator, vel Musicus Ecclesiæ, est capax Præbendæ; potèstque dici Præbendatus, quamvis nequeat esse Canonicus. Glossa, Abbas, Felinus, ubi supra. Gonzalez numer. 6. Anton. Nebrissenis in Vocabulario juris, §. Præbenda. & alii. Verùm hæc acceptio non est ad nostrum propositum, ubi sermo est de Præbenda, prout est jus quoddam spirituale, atque individuum; uti appellatur c. Dilectio filio. 25. §. Præterea. h. t. & alibi.

3. Secundo igitur Præbenda accipi solet pro Canonica portione, seu pro fructibus annuis, sive grossis, qui de communi bonorum, proveniuntque Ecclesiasticorum massa sumuntur, & propter spirituale ministerium, sive ratione annuæ residentie

in loco Canonice, Præbentur singulis Canonice pro sua portione. Unde & Præbendæ nomine indignantur: atque non raro etiam dicuntur Fructus Præbendæ, vel absolute Præbenda, prout fit in c. Dilectio filius. 19. h. t. ibi: Idem fructus Præbendæ percipere non debent. juncto c. Cum M. 9. de Constitut. ibi: Antiquis Canonice præbendas cum integritate percipientibus, & alibi.

Tertio, & propriè, magisque strictè loquendo, 4 Præbenda est jus ipsum spirituale, pro Canonico institutum ad utendum, & fruendum rebus, atque juribus ad hoc deputatis, & recipiendum atque administrandum ea ratione Officii, seu Canonice. Ita Abbas cit. c. Cum M. numer. 22. & Fagnanus ibid. numer. 27. De Constitut. & alii. Additur notanter, ratione Officii, seu Canonice: siquidem jus istud ex Canonice (quæ est jus, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive Canonice) ejusque Officio, descendit tanquam sequela: quia, ex quo aliquis habet Canoniam, seu Officium, debet habere Præbendam, seu Beneficium; prout dicitur c. Relatum. 9. & c. Dilectus. 19. h. t. cum similibus.

Resp. II. Nihilò minus in proposito, atque in 5 Rubrica præsentis Tituli, Præbenda sumitur non specificè pro sola Præbenda Cathedrali, vel Collegiata Ecclesiæ; sed genericè pro omni Beneficio Ecclesiastico, saltem inferiori. Ita Barbosa ad Rubricam. h. t. num. 6. Pirhing h. t. num. 1. Vallensis eod. §. 1. n. 1. & alii. Idque patet ex c. Referente. 7. & c. Cum non ignores. 15. & c. Tuis questionibus. 23. h. t. cum similibus hoc titulo passim occurrentibus, & in quibus de Beneficiis generaliter agitur. Accedit can. Si quis dator. 1. q. 3. ubi indistinctè dicitur, quod Dei Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ beneficia, quidam Præbendas vocant. Concordat textus in c. Quia in tantum. 5. h. t. & c. Tua nobis 32. de Verb. signif. Quo tamen obstante ly, Præbenda, prout accipitur in præsentis Rubrica, merito restringitur ad inferiora Beneficia, ne altera ejusdem pars, nimirum ly, & Dignitatibus, superflue videatur. Occasione cuius

Quæritur II. Quid sit Beneficium Ecclesiasticum? Resp. I. Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod Officium spirituale, personæ Ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 4. n. 8. Vallensis h. t. §. 1. n. 3. Engel eod. n. 1. Zoëlius n. 2. Sannig cap. 1. num. 4. Layman lib. 4. Theolog. Moral. tract. 2. cap. 1. n. 1. Et in re communis. Nisi quòd Navarrus de Redditiis. Ecclesiast. quest. 1. monit. 55. n. 4. addat ly, Jus perpetuum in se, vel quoad recipientem: alii verò, & signanter Garcias part. 1. de Beneficiis. cap. 2. n. 2. & 65. & Pyrrhus Corradus in Praxi Beneficiorum. lib. 1. cap. 1. n. 1. omittant ly, perpetuum; juxta dicenda n. 8.

Dicitur imprimis, Jus. Quod intellige de jure 7 spirituali, propter connexionem, ac dependentiam à spirituali: quia nimirum præsupponit Clericatum, & datur propter Officium, seu ministerium sacrum. Alioquin enim jus percipiendi fructus, utpote res temporales, in se foret temporale quid: sed in proposito, veluti connexum spirituali, censetur spirituale. Concordant dicenda inferius n. 11.

Et additur, perpetuum. Quamvis enim nonnulli 8 li Authores hanc particulam omittant; ut Garcias cit. part. 1. de Beneficiis. cap. 2. numer. 65. & seqq. asserens cum quibusdam aliis, à se citatis, quòd non sit de essentia Beneficii, esse perpetuum: tamen idem Garcias paulò inferius, seu num. 79. quandam in beneficio Ecclesiastico requirit perpetuitatem, saltem aptitudine. Cæteri verò Doctores passim

passim tradunt, de natura, atque essentia beneficii Ecclesiastici esse, quod sit perpetuum: idque merito. Tum quia per hoc differt Beneficium essentialiter à Pensione: nam Pensio non confertur in perpetuum, sed solummodo ad vitam gravati, vel ad summam ad vitam Pensionarii: eoque mortuo cessat, & extinguitur. Econtra verò de natura beneficii Ecclesiastici est, ut semel legitime institutum, perpetuò duret: unde obitu Beneficiarii non extinguitur, neque cessat; sed dicitur vacare, donec rursus alteri conferatur. Azorius part. 2. lib. 2. quest. 2. §. Ex his, & alii.

9 Deinde, quod de essentia beneficii Ecclesiastici sit, ut non conferatur ad certum duntaxat tempus, sed in perpetuum (hoc est, ad totam vitam Beneficiarii, arg. l. i. ff. Pro socio, ubi in simili dicitur, quod societas corpi desistit, vel in perpetuum: id est, dum vivum est.) demonstrat ex can. Sanctorum. dist. 70. ibi: In qua Ecclesia quilibet intulatus est, in ea perpetuò perseveret. Id ipsum confirmat textus in cap. un. junctâ glossâ y. Perpetui. de Capell. Monach. in 6. atque tenet Abbas Consil. 46. n. 1. lib. 2. dicens, proprium esse beneficii Ecclesiastici, ut sit perpetuum quantum ad eum, cui conferatur. Jo. de Selve Tractatum tom. 15. tract. de Beneficio. part. 1. quest. 1. numer. 4. allerens, tale esse propriè Beneficium Ecclesiasticum: atque solutissime, & ex professo tradit Pyrrhus Corradus lib. 1. Praxis beneficiar. cap. 6. n. 261. & seqq. Accedit ratio: quia inter Ecclesiam & Presbyterum, est matrimonium spirituale, can. Sicut in unaquaque. 21. q. 2. ubi Ecclesia dicitur Sponsa vel uxor Presbyteri: aut potius quasi matrimonium (nisi Presbyter ille sit Episcopus) prout late probat Fagnanus in c. Quanto. n. 5. & 6. de Translat. Episcop. Atqui matrimonium, ex sua natura est perpetuum: idem ergo dicendum de beneficio Ecclesiastico, utpote matrimonium, vel quasi matrimonium involvente.

10 Dicitur ulterius in data Beneficii definitione, percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale. Quia, ut inter alios notat Valenus h. t. §. 1. & Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 4. n. 9. & 10. tria in Beneficio Ecclesiastico distingui possunt. Primum est, Officium aliquod spirituale: puta, obligatio recitandi Horas Canonicas in Choro, vel saltem extra illum; item obligatio deservendi in Officiis spiritualibus cultum Ecclesie, celebrandi Missas, aut hujusmodi. Et istud est omnino spirituale; non tamen est Beneficium, sed fundamentum & causa ipsius, hoc est juris percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis: nam propter Officium datur Beneficium Ecclesiasticum, uti habetur cap. ult. de Rescript. in 6.

11 Alterum est, Jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis. Et istud Jus, propriè dicitur Beneficium; estque spirituale, quia oritur ex spirituali Officio, ipsique connectitur, juxta c. Cum secundum. 16. h. t. ibi: Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari &c. junctis dictis supra num. 7.

12 Tertium, sunt ipsi fructus percipiendi ex bonis Ecclesiasticis: id est, ex bonis Deo dicitis, & Ecclesie donatis. Et hi sunt quid temporale, ac proinde licet venduntur absque labe simoniae: uti patet in fructibus Decimarum. Et per hoc patet ad proximè relatas particulas dictæ definitionis Beneficii.

13 Rursus dicitur in eadem definitione, persone Ecclesiasticæ; id est saltem primâ Tonfurâ initiatæ. Nam talis quilibet, & ad quodlibet Beneficium, inhabilis existit: adeò quidem, ut non sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari, arg. c. Ex literis.

6. de Transaction. & notat Glossa fin. & Abbas ibid. nu. 3. illud limitans, nisi forsân Papa dispensaverit cum Laico, ut possit Beneficium recipere, & postea primùm tonsurari. Alioquin verò collatio Beneficii in personam Laici, seu necdum primâ Tonfurâ initiatâ facta, ipsâ jure nulla est, & invalida: nam Laicus est incapax omnis juris Ecclesiastici, c. Causam. 7. de Præscription. Id ipsum patet ex c. Cum adeò 17. junctâ Glossâ y. Nec Clericus. de Rescript. & cap. 2. de Institut. etique jam dictum supra Lib. 1. Tit. 6. de Election. §. 9. num. 219.

Dicitur tandem in definitione Beneficii, auctoritate Ecclesie constitutum. Siquidem beneficia Ecclesiastica, non nisi interveniente legitima auctoritate Ecclesie (hoc est, approbatione Episcopi, vel alterius Prælati ad hoc potestatem habentis) constituitur, seu erigi possunt; juxta Glossam in Clem. 2. y. Si beneficiorum, in fin. de Decimis, à contrario sensu istud inde desumitur: ac fuscè tradit Pyrrhus Corradus de Beneficiis, lib. 1. cap. 2. n. 1. & seqq. Adeò, ut antequam accedat auctoritas Episcopi, non dicatur beneficium Ecclesiasticum; sed pia quædam donatio, seu Legatum pium. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. Quare instituta sunt Beneficia. nu. 10. Pyrrhus Corradus cit. cap. 2. n. 28. & 29. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. n. 20. Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 4. nu. 16. & seqq. allegans Rotam Decis. 361. num. 3. part. 2. Recenti. & alii passim.

Quamdiu igitur deficit consensus Episcopi, non est Beneficium, sed res stat in pendenti. Barbosa cit. num. 16. Neque Fundator ipsius, acquirit jus patronatus ante approbationem Episcopi. Felinus c. Ex parte. il. 2. n. 2. de Rescript. Quamvis ante memoratam Episcopi approbationem possit Beneficium illud concedi à Fundatore cuiuspiam Sacerdoti, sed per modum simplicis duntaxat deputationis. Lotterius de re benefic. lib. 1. q. 5. num. 57. Barbosa loc. cit. numer. 18. & 19. subjungens cum aliis, quod Capellanice, sub onere celebrandarum Missarum constitutæ sine auctoritate Episcopi, censentur laicales.

Unde ulterius, si quis in aliqua Ecclesia certas Missas, vel etiam Anniversaria, sub competenti stipendio in perpetuum fundaverit, nisi approbatio Episcopi accesserit, non erit Beneficium; sed solummodo pium Legatum, aut pia donatio. Rebuffus, Barbosa, ubi supra. Zerola in Praxi Episcop. part. 2. y. beneficium. vers. 10. Engel h. t. num. 1. Et quia tale Legatum caret erectione, seu institutione Ordinarii, sine qua beneficium Ecclesiasticum esse suum non habet, erit quid laicale, & temporale. Barbosa cit. cap. 4. numer. 20. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. n. 20. Guido Papæ Decis. 187. num. 1. Pyrrhus Corradus cit. cap. 2. nu. 28. & 29. allegans alios, atque Rotam in una Monopolian. Hebdomad. Vener. 14. Decemb. 1612. coram Manzanedo. Accedit ratio: quia nullus privatus sine Episcopi auctoritate, potest locum sacrum, vel rem spirituales constituere, arg. c. Ad hæc. 4. de Religios. Domib. ac notat Gonzalez cit. gloss. 5. num. 7.

Queritur III. Quæ sint Requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur beneficia Ecclesiastica? Resp. Talia Requisita potissimum esse sex, quæ enumerant Abbas Consil. 47. n. 1. lib. 2. Card. Tuschus Litt. B. Concl. 54. n. 5. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 141. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. num. 6. & seqq. & Pyrrhus Corradus d. lib. 1. Praxis Beneficiar. cap. 1. numer. 12. per quinque sequentia Capita fuscè de singulis differens. Primum Requisitum est, quod beneficium

Acium Ecclesiasticum Episcopi auctoritate sit erectum: juxta proximè dicta. Secundum, quod habeat aliquid spiritualitatis annexum; puta, quod detur propter Divinum Officium: scilicet, si pars reddituum Ecclesiasticorum daretur propter ministerium merè temporale, v. g. Cantori, Aduvato, & hujusmodi, pro laboribus suis laicalibus. Tertium, quod conferatur à persona Ecclesiastica, putià, à Papa, vel Episcopo; non verò à Laico: nam Laici non possunt conferre beneficia Ecclesiastica (haud obstante, quòd jus patronatus eidem competat, siquidem idoneum Clericum ad Beneficium vattat, seque idoneum Clericum ad Beneficium vacans præsentare valeant) sed ea conferunt soli Ecclesiastici, horumque Officiales, c. Ex frequentibus. 3. de Institut. & can. Si quis deinceps. & can. Si quis Clericus. & can. Nullus laicorum. 16. q. 7. Quartò, quòd conferatur Clerico, non Laico. Quintò, quòd sit perpetuum; juxta dicta in explicatione definitionis Beneficii. Sextò, quòd sibi non possit retineri, sed necessariò sit conferendum alteri, cap. ult. de Institution.

18 Porro, si unum præmissorum Requisitorum deficiat, beneficium Ecclesiasticum dici non potest: nam hæc omnia sunt substantialia in Beneficio. Pyrrhus Corradus, ubi supra. Gonzalez d. gloss. 5. n. 16. citans Rotam Decis. 508. n. 3. & 4. part. 1. Diversi. & alios. Siquidem ubi plura requiruntur ad substantiam alicujus rei, uno deficiente, nihil censetur actum; ut l. Si unus. C. de Testament. Quòd si verò prædicta concurrant, non est curandum; quo nomine Beneficium appellatur, sive dicatur Beneficium, sive Officium, aut Præstimonium, vel Pensio: quia non est vis in nomine, sed potius attendi debet natura rei, arg. l. Si uno anno. §. 1. ff. Locati. & c. Ea que. 16. de Simonia. Abbas cit. Consil. 47. num. 2. part. 2. Felinus c. in nostra. num. 9. vers. De quarto. de Rescript. Gonzalez loc. cit. n. 17.

§. II.

De multiplici divisione Beneficiorum: ubi plura de Beneficio manuali.

S U M M A R I U M.

- 19 Beneficium latissime sumptum; & Beneficium Principis propriè dictum, quid? Remissivè.
20 Beneficia Ecclesiastica alia sunt majora, alia minor.
21 Notabilis differentia inter hæc.
22 Beneficium regulare, & sæculare, quod?
23 Beneficia omnia censentur sæcularia, donec contrarium probetur.
24 Et quid ratione istud probari possit?
25 Beneficia in Monasteriis, in dubio presuntur regularia.
26 Beneficia sæcularia Sæcularibus, & regularia Regularibus sunt conferenda: quod limitatur.
27 Alia Beneficiorum divisio ratione annexæ curæ animarum, administrationis, aliorumve jurium, & n. seqq.
28 Beneficia curata, & non curata, quæ?
29 Beneficia curata sunt duplicis generis: nam quædam habent curam animarum in Foro externo; alia in foro interno, seu penitentiali. Hæc dicuntur propriè curata. Ibid.

- 30 Ad Beneficium propriè curatum, seu ad Ecclesiam Parochialem, quatuor requiruntur; & quæ?
31 Beneficia duplicia, quæ? Beneficia non curata, an rectè dicantur simplicia?
32 Hæc vocabula, Dignitas, Personatus, Officium, quomodocumque sumuntur pro synonymis: strictè tamen differunt.
33 Dignitas strictè, quid?
34 Potest etiam oriri ex institutione, consuetudine, ac denominatione.
35 Personatus, &
36 Officium, quid?
37 Beneficia simplicia, quæ? Rescripta, ut cuiuspiam provideatur de Beneficio simplici, qualiter sint intelligenda? Ibid.
38 Canonici plerumque non veniunt nomine Beneficiorum simplicium; & cur?
39 Beneficia alia sunt electiva, alia patronata, alia collativa, seu libera.
40 Beneficia patrimonialia, & non patrimonialia, quæ?
41 Beneficium monoculum, & non monoculum, quod?
42 Beneficia Consistorialia, quæ? Beneficia Papæ reservata: & Beneficia vacantia in Curia. Remissivè.
43 Beneficia manualia, quæ? Appellantur etiam Revocabilia. Ibid.
44 Possunt dari ex fundatione &c. Atque magis expedit, talia erigi in Capellanis jurispatronatus. Ibid.
45 Beneficia manualia possunt revocari ad nutum conferentis; & qualiter? Ibid.
46 In dubio Beneficia sæcularia censentur perpetua: Regularia verò manualia. Et n. seqq.
47 Episcopus juxta de causa, & cum consensu patroni, potest Beneficium simplex perpetuum efficere manuale.
48 Respectu Papæ omnia Beneficia censentur manualia. Potest Papa Beneficium manuale conferre in perpetuum, expressâ tamen hujus manualitate. Ibid. & n. seqq.
49 Papa simpliciter conferendo, non censetur voluisse alterare naturam Beneficii.
50 Statuto per Sedem Apostolicam approbato possunt Beneficia sæcularia perpetua, fieri manualia. Imò & consuetudine legitime prescripta. Ibid.
51 Beneficia tamen manualia, de consuetudine non possunt fieri perpetua: & cur?
52 Beneficia manualia, verè & propriè Beneficia non sunt.
53 Et quid dicendum de Ecclesiis parochialibus, quæ Monasteriis, Capitulis &c. sunt incorporatæ, ac reguntur per Vicarios temporales?
54 Dantur tamen nonnulli casus, in quibus nomine beneficii Ecclesiastici veniunt beneficia manualia. Et num. 52.
55 Sic contingit in materia favorabili. Ibid.
56 Ac in dispositionibus editis ob publicam utilitatem.
57 De Consuetudine, ac stylo Curie Romanæ, in imperatione beneficii faciendâ est mentio præhabiti beneficii manualis; & cur?

Queritur I. Quotplex sit Beneficium Ecclesiasticum? Et additur notanter, Ecclesiasticum: quia hic non agitur de Beneficio latissime sumpto, prout aliud non est, quàm benevola actio tribuens gaudium

dium capienti. Neque de Beneficio Principis proprie & strictè sumpto, ac prout contra distinguitur à Privilegio, & Rescripto: nec aliud est, quam benevola actio, seu liberalitas quædam concessa sine alterius præjudicio præter Jus commune; de quo jam dictum est supra Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 17. n. 444. & 445. Igitur impræsentiarum solum agitur de Beneficio Ecclesiastico proximè explicato: quo prænotato,

20 Resp. I. Beneficium Ecclesiasticum est multiplex, varièque dividitur. Et primò quidem ratione diversæ excellentiæ ipsorum, Beneficia alia dicuntur majora, alia minoræ. Beneficia Ecclesiastica majora, sunt Papatu, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus: quibus Vallensis h. t. §. 2. n. 1. Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 6. n. 2. & alii, etiam addunt Abbatiam. Cætera verò his inferiora, censentur Beneficia minoræ.

21 Est autem notabilis differentia inter hæc. Siquidem Beneficia majora communi nomine Beneficia, ac nisi secus exprimat, in materia odiosa & poenali non solent comprehendere: cum sint Culmina Dignitatum, prout appellantur cap. penult. seu c. Venerabilis. 37. h. t. Unde dispensatio impetrata ad omnia Beneficia, non extenditur ad Episcopatum, propter eminentiam Dignitatis, quæ est specialis notã digna. Pirhing h. t. numer. 9. cum aliis. Nam dispensatio, tanquam vulnerans Jus commune, est odiosa, & strictè accipienda, cap. 1. de Filiis presbyt. in 6. ac notat Fagnanus c. Mandato. numer. 33. de Simonia. Vallensis h. t. §. 2. n. 1. estque ex professo dictum supra Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 18. n. 451. & seqq.

22 Resp. II. Ratione diversis statibus hominum, quibus conferenda sunt, Beneficia ulterius dividuntur in regularia, & secularia. Beneficium regulare est, quod solis Regularibus competit. Sive dein id contingat ex primæva fundatione, seu institutione; ut Abbatia, Prioratus, & hujusmodi: sive ex consuetudine, seu legitima præscriptione, eò quod per Regulares regi consueverit, & administrari, per quadraginta saltem annos, c. Cum de Beneficio. 5. junctã Glossã fin. de Præbend. in 6. Rebuffus in Praxi Beneficiorum, tit. Regularia beneficia. num. 1. Garcias de Beneficiis, part. 7. cap. 10. nu. 1. allegans alios. Beneficium secularis econtra dicitur, quod additum, & debium est secularibus Clericis: id est, illis, qui nullam sunt professi Regulam, sed in sæculo militant, & servant Deo sub statu Clericali.

23 Ubi sciendum, quòd omnia Beneficia censeantur secularia, nisi contrarium probetur. Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 6. n. 11. & 12. post Rotam Decis. 2. de Præbend. aliã 32. in novis. Card. Tuschus Litt. B. Concl. 54. n. 4. Navarrus Concl. 3. de Præbend. n. 1. Zerola part. 2. praxi Episcop. §. Beneficium. vers. Decimo secundo. Vallensis h. t. §. 2. n. 9. Rebuffus in praxi Benefic. tit. Quotuplex sit beneficium. num. 3. & Mascardus de Probation. Concl. 172. n. 1. allerens, istud ab omnibus esse receptum. Quia (inquunt) postquam D. Petrus fuit Clericus secularis, præsumitur, ita Beneficia fundata fuisse sequendo illum primum Parochum.

24 Additur notanter, donec contrarium probetur. Tunc quippe factis erit dicendum: uti fit, si ex ipsamet Beneficium fundacione cautum habeatur, ut sit Regulare; vel istud ex legitima Superioris institutione concessum, aut saltem ex longæva consuetudine, seu præscriptione quadraginta annorum obtentum fuerit, cit. c. Cum de beneficio. 5. de Præbend. in 6. Navarrus, Zerola, Vallensis, ubi supra, alique passim. Ubi etiam optimè notant

Doctores, quòd in Beneficialibus (imò & in aliis causis) attendendus sit ultimus status Beneficii: puta, an tempore vacationis proximè contingens per obitum Beneficarii, ipsum beneficium fuerit regulare, vel secularis; curatum, vel non curatum; manuale, vel non manuale &c. Nam ratione possessionis, vel quasi possessionis, secundum hunc ultimum statum debet judicari, donec contrarium probetur. Felinus c. Eam te. nu. 22. de Rescript. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 45. §. 2. num. 14. Mascardus de Probation. concl. 572. num. 8. Garcias part. 7. de Beneficiis, cap. 10. num. 34. post Rotam Decis. 2. de Præbend. in novis. Pirhing h. t. nu. 120. & alii, quos citant.

Limitatur quoque dictum illud, nempe quòd 25 Beneficia censeantur secularia: nisi &c. ut non procedat, si Capellæ, seu Beneficia sint fundata in Monasteriis, seu Ecclesiis Regularium. Est enim Beneficia hujusmodi non hoc ipso censeantur Regularia, quòd sint fundata in Regularium Ecclesiis (pendet enim ex arbitrio Fundatorum, an pro Secularibus, vel Regularibus Beneficium erigere velint) nihilo minus in dubio, & quamdiu non appareat de contraria Fundatorum intentione, Beneficium in Monasterio fundatum semper præsumitur Regulare. Rebuffus cit. tit. Quotuplex sit beneficium. n. 6. Mascardus loc. cit. Concl. 172. n. 17. Engel tit. de Capellis Monach. numer. 1. vers. Porro. additã est ratio: Quia non est verisimile, quod erigens Beneficium cum onere legendi Missas in Ecclesiis Regularium, voluerit ab eo ipsos Regulares excludere; cum potius videamus, Religiosorum præces multum à devotis hominibus, ipsisque Fundatoribus desiderari.

Insuper notandum, quòd de præfata Beneficii 26 divisione loquatur vulgatum illud axioma Canonistarum: Secularia beneficia Secularibus, & regularia Regularibus sunt conferenda; prout desumitur ex c. Cum ad nostram. 37. & c. Officii. 38. de Election. juncto Tridentino Concilio Sess. 14. cap. 10. de Reform. & Sess. 25. cap. 21. de Regularibus. Siquidem rationi non congruit, ut homines disparis professionis, vel habitus, simul in eadem Ecclesia socientur, atque deserviant, Clem. 1. de Election. ac notat Garcias part. 7. cap. 10. n. 2. & 3. Vallensis h. t. §. 2. n. 14. & alii. Intelligi, nisi causã necessitatis exigente, deque consensu Superioris, aliud fieri expediat: puta, quia alii idonei non reperiuntur, arg. c. Inter quatuor. 5. de Religios. Domib. Garcias d. cap. 10. n. 16. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 8. n. 41. cum aliis.

Resp. III. Beneficia Ecclesiastica ratione annexæ 27 curæ animarum, administrationis, aliorumve jurium, dividuntur in curata, & non curata; item in duplicia, & simplicia: ex quibus duplicia subdividuntur in Dignitates, Personatus, & Officia. Probatur istud inductione, seu potius explicatione terminorum. Et quidem,

Beneficia curata dicuntur, quæ curam animarum 28 habent annexam. Beneficia non curata, seu sine cura sunt, quibus nulla ejusmodi animarum cura est annexa. Et in dubio Beneficium censetur non curatum: nam de Jure nullum Beneficium habet curam, nisi habeat populum, seu Clerum: ac proinde allerenti curam, incumbit hujus probatio; ut L. 2. ff. de Probation. ac notat Rebuffus in Praxi Benefic. tit. Seculare Beneficium, quotuplex. n. 11. Menochius lib. 2. de Arbitrar. Judic. cas. 201. num. 62. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 6. num. 91. post Bellameram Decis. 676. Si impetrans, & Rotam Decis. 17. num. 1. part. 1. Divers. Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 6. num. 8. Vallensis h. t. §. 2. n. 2. & alii passim.

29 Porro Beneficia curata sunt duplicis generis. Nam quædam habent curam animarum in Foro Externo, seu contentioso, quatenus habent jurisdictionem spirituales visitandi, corrigendi, excommunicandi, & alia hujusmodi præstandi, juxta textum notabilem in c. Dudum. 54. §. Sed cum in jure. de Election. Ubi proinde Abbas num. 8. notandum ait, quòd Beneficium dicitur curatum, sive habeat curam Fori poenitentialis, sive Fori contentiosi: & concordat Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 6. n. 7. & Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 163. citans alios. Quamvis Gomezius ad Regul. Cancellar. De Idiomatic. quest. 11. n. 4. & Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 6. n. 60. & 61. pluresque alii allerant, quòd potestas Fori externi, seu contentiosi (qualis versatur circa exercitium jurisdictionis spiritualis, delinquentes suspendendo, excommunicando, interdicens, Beneficis privando, visitando, & alia hujusmodi ad correctionem morum spectantia peragendo) solum largè, & improprie dicatur Cura animarum; cum etiam non Sacerdotibus, puta Archidiaconis, convenire possit. Alia verò Beneficia habent curam animarum in Foro interno, seu animæ, quatenus habent potestatem ligandi, & solvendi in Foro poenitentiali, simulque subditis suis administrandi Ecclesiastica Sacramenta in Foro interno, ac externo. Et talia censentur strictè, & proprie Beneficia curata: qualia habent Parochi. Garcias loc. cit. num. 5. & 6. Mascardus de Probationibus, Concl. 469. n. 2. Gonzalez, ubi supra, n. 69. citans alios, atque Rotam in una Conchensi Archiepiscopatus. 29. Januarii, 1594. coram R. D. Penna.

30 Notant autem Doctores, & signanter Gomezius loc. cit. Gonzalez d. gloss. 6. n. 34. & seqq. Barbosa cit. allegat. 57. num. 159. Chokier in Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. num. 1. & alii, ad hoc, ut aliquod proprie dicatur Beneficium curatum, seu Ecclesia Parochialis, plura requiri, ac præsertim quatuor sequentia. Primò, ut habeat annexam potestatem ligandi, & solvendi in Foro poenitentiali: & quidem ex officio suo, ita ut necessitate alstringatur Ecclesiastica ministrare Sacramenta; & Fideles subditi sint stricti, ut in illis ad eos recurrant. Glossa in Clem. Dudum. §. Impendant. de Sepultur. Et hæc potestas ex Christi institutione non nisi Sacerdotibus convenire potest. Secundo requiritur, ut sit certa Parochia, vel locus determinatis limitibus constitutus, ac designatus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, can. Ecclesias. 13. quest. 1. juncto Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 13. de Reform. ibi: Ubi Parochiales Ecclesie certos fines non habent &c. Tertio requiritur, ut possessor talis Beneficii curam animarum suo nomine, & non alieno exerceat. Et quartò, ut solus suo nomine illud regat: nam una Ecclesia non nisi unius Sacerdotis esse debet, c. Cum non ignores. 15. h. t. Sicut & unum corpus nequit habere duo capita; alioquin foret monstruosum. Chokier, & alii, qui supra. Nunc pergendo ad alia membra datæ divisionis,

31 Beneficia duplicia sunt ea omnia, quæ vel curam animarum habent annexam, vel quandam jurisdictionem, præcedentiam sive administrationem adjunctam continent: uti sunt Dignitates, Personatus, & Officia. Vallensis h. t. §. 2. num. 3. Lessius lib. 2. de justit. & jur. cap. 34. dubitat. 2. num. 9. Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 6. num. 9. cum aliis. Et merito talia Beneficia dicuntur duplicia: quia præter recitationem Horarum Canonicarum, aliaque Beneficiorum omnibus communia, habent etiam adjunctam curam animarum, aut aliam administrationem, vel saltem præminentiam quandam. Un-

Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

de patet, quòd licet Beneficia non curata sæpius appellemur simplicia, tamen in rigore loquendo, atque indistinctè, istud non rectè dicitur; neque subsistat, nisi benignè interpretetur. Nam Personatus, v. g. vel Officium, curam animarum non habent annexam; nec tamen sunt Beneficia simplicia, sed duplicia, propter adjunctam eis administrationem, vel præminentiam quandam. Quòd ut melius intelligatur,

Notandum est cum Glossa in cap. 1. d. princip. 32 de Consuetud. in 6. communiter recepta, quòd hæc tria vocabula, videlicet Dignitas, Personatus, & Officium, quandoque sumantur pro synonymis; uti fit c. Cum accessissent. 8. de Consuetud. ubi idem Primitivus imprimis appellatur Personatus, deinde Dignitas, & tandem Officium: ac proinde in horum vocabulorum usu attendendum esse locorum consuetudinem, passim observent Doctores; ut Pirhing. h. t. num. 10. Vallensis loc. cit. §. 2. nu. 7. & cumprimis Abbas c. De multa. num. 21. h. t. inter alia dicens, quòd in multis locis, Dignitas appellatur Personatus; & in aliquibus quolibet Beneficium curatum dicitur Personatus; ideòque in illis debeat attendi substantia rei magis, quam prædicationatio. Nihilominus strictè loquendo, prædicta inter se differunt in Jure; prout constringitur clarè ex c. De multa. 28. de Præbend. ubi textus de Dignitate, & Personatu, tanquam de diversis, aperte loquitur, dicens: In eadem Ecclesia nullas plures dignitates, aut personatus habere præsumat. Id ipsum constat ex cap. 1. de Consuetud. in 6. ibi: Nisi unicum personatum, vel dignitatem -- aut Officium perpetuum, cum similibus. Et enim

Dignitas strictè sumpta, ac prout ab aliis distinguitur, est præcedentia cum jurisdictione. Glossa cit. cap. 1. de Consuetud. in 6. Rebuffus in Praxi Beneficiorum, tit. Seculare beneficium, quotuplex. num. 7. Vallensis h. t. §. 2. n. 4. Unde ea Beneficia censentur esse Dignitates, quæ habent præminentiam, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum cum imperio, ac jurisdictione: & quidem (ut notat Sylvester §. Dignitas num. 1.) in Foro externo contentioso: ut Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, & hujusmodi.

Addunt tamen Doctores, & signanter Rebuffus 34 cit. num. 7. Dignitatem etiam oriri posse ex institutione, seu primæva fundacione: ut si in erectione certi Beneficii cautum fuerit, quòd sit Dignitas, etiam si quandam jurisdictionem super alios non habeat. Item ex consuetudine: nam si de consuetudine Ecclesiæ aliqua reputetur Dignitas, licet de Jure non sit talis, tamen Dignitas censeri debet. Rebuffus loc. cit. Mascardus de Probationibus, Concl. 515. num. 5. allegans alios. Probatur insuper Dignitas ex denominatione; sive ex eo, quòd quis Beneficium habeat, cujus nomen de Jure communi Dignitatem innuit; ut Archidiaconatus: nam Archidiaconatus Jure communi est nomen Dignitatis, imò prima Dignitas post Episcopalem, cap. 1. & c. Ad hæc. de Offic. Archidiacon. Unde, licet Archidiaconus alicubi de consuetudine non habeat jurisdictionem, quia tamen Archidiaconatus de Jure communi est nomen Dignitatis, censetur ille esse in Dignitate, etiam non habuit aliam jurisdictionem; dummodò quandam habeat prærogativam in Ecclesia sua, tam in Choro, quam in Capitulo. Mascardus d. Concl. 515. num. 2. & seqq. citans Rotam Decis. 442. aliã 17. de Concess. Præbend. in novis.

Personatus est præcedentia sine jurisdictione: 35 qualem habere censetur ille, qui præ cæteris Canonicis sui ordinis locum magis honorificum in Choro, in Capitulo, in Processionibus, & hujusmodi obtinet. Unde Beneficium illud, cui talis præ-

præminentia sedis. & aliorum, absque jurisdictione est annexa, dicitur esse Personatus: ut hic Frisingæ est Scholasticus, alibi verò Primicerius, seu Cantoria, aut hujusmodi.

36 Officium denique dicitur administratio rerum Ecclesiasticarum sine alia speciali præcedentia, vel jurisdictione. Qualem administrationem habent Sacrista, Custos, Thesaurarius, & hujusmodi.

37 Poterit Beneficia simplicia sunt ea, quæ neque curam animarum, neque Dignitatem, neque Personatum, neque Officium adjunctum habent: sed tantum sunt instituta ad preces Deo persolvendas, aliæque Divina Officia peragenda. Et de talibus intelligenda sunt Rescripta Papalia, quæ volunt curiam de Beneficio simplici provideri: nam si quid prædictorum Beneficio est annexum, illud erit non simplex: atque ideo nonnullatenus tali conferendum, arg. c. Quamvis plenissima. 4. c. e. Cum in illis. 16. c. e. Cum de non sacerdotali. 27. de Præbendis. in 6. cum similibus. Tum quia fines Mandati Apostolici diligenter sunt observandi, c. Cum dilecta. 22. de Rescriptis. Tum quia Litteræ super beneficiis Ecclesiasticis, cum sint ambitiosæ, restringi debent; prout notavit Pontifex cit. c. Quamvis plenissima. 4. h. t. in 6.

38 Excipie etiam Canonicatus. Hi enim, licet curam animarum non habeant, neque propriè & simpliciter sint Dignitates, ac Personatus (modo proximè explicato) ac proinde Beneficiis simplicibus annumerari possent: quia tamen personalem residentiam de factò requirunt, ex Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 12. de Reform. simulque Canonici majorem præ cæteris Clericis præcedentiam habent, c. Statutum. 22. de Electione. in 6. ideo Canonicatus plerumque nomine Beneficiorum simplicium non veniunt. Engel h. t. num. 5. Unde dicta Tu. præced. §. 1. n. 9. de Beneficiis simplicibus, nempe quòd de consuetudine generali residentiam personalem non requirant, non possunt applicari ad Canonicatus, juxta Concilium Tridentinum cit. cap. 12. Nec vi provisionis Apostolicæ de conferendo Beneficio simplici, potest conferri Canonicatus, arg. c. Cui de non. 27. de Præbendis. in 6. juncto c. Quamvis plenissima. 4. eod. in 6.

39 Resp. IV. Beneficia Ecclesiastica juxta triplicem modum, quo communiter conferri solent, dividuntur ulterius in collativa seu libera, patronata, & electiva. Atque ex his Beneficia electiva dicuntur, quæ conferuntur per electionem legitime celebratam, & atque à Superiore confirmatam. Patronata sunt, quæ ad Patroni præviam præsentationem, & subsecutam institutionem à Prælato factam, conferuntur: seu brevius, quæ sub sunt juri patronatus. Tandem Beneficia collativa, seu libera, appellantur ea, quæ per liberam Superioris collationem sine prævia Capitulari electione, vel alterius præsentatione, conferuntur: quamquam hæc de factò, sive post Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 18. de Reform. conferenda sint per Concursum, de quo infra §. 5. num. 134. 135. & seqq. ex professo dicitur.

40 Resp. V. Juxta diversas alias qualitates, quibus subjacent, atque qualificantur, Beneficia dividuntur etiam in patrimonialia, & non patrimonialia. Beneficia patrimonialia sic dicuntur, non quòd patrimonii naturam, seu rationem habeant; sed quia non possunt conferri, nisi Clericis ex tali patria, loco, vel familia oriundis, quando ad iudicem idonei. Beneficia non patrimonialia vicissim sunt, quæ cuiuslibet digno undecunque oriundo conferri possunt.

41 Deinde Beneficium aliud vocatur monoculum, aliud non monoculum. Beneficium monoculum di-

citur, quando Prælatum illud solummodo habet ad conferendum. Non monoculum e contra explicatur. Vallensis h. t. §. 2. num. 18. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 9. §. 4. num. 4. & 5.

Resus Beneficia alia dicuntur manualia, seu ad nutum revocabilia. Alia non manualia, sive collativa in perpetuum: de quibus ex professo agitur quest. seq. Accedunt Beneficia Consistorialia; suntque illa, de quibus Papa disponit in Consistorio coram Cardinalibus: ut sunt Episcopatus, Abbatie, & nonnullæ aliæ Dignitates, tam sæculares, quam regulares. Pyrrhus Corradus in Praxi dispensationum. lib. 6. n. 45. Flamin. Parisius de Regnati. Benefic. lib. 2. quest. 2. n. 15. & 6. citans alios. Tacentur Beneficia Papæ reservata; nec non Beneficia apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantia: nam de his infra §. 13. num. 379. & §. 15. num. 433. & seqq. ex professo agitur.

42 Quæritur II. Quid sit dicendum de Beneficiis manualibus, & an sint Beneficia propriè dicta? Resp. I. Beneficia manualia sunt, quæ non conferuntur alicui in perpetuum, sed ad nutum conferentis, vel alterius; ita ut Beneficiarius pro libitu ipsius amoveri possit. Ita Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 6. num. 2. & in re communi. Et hujusmodi Beneficia manualia alio nomine appellantur revocabilia: quia videlicet ad nutum conferentis, seu alterius, cui talis facultas relevata est, revocari possunt.

Hujusmodi Beneficium manuale foret, quando Fundator per suam ordinationem, ac Ordinario approbatam, fundavit sive dotavit Beneficium, seu Capellaniam; voluitque, ac disposuit, ut eidem præficiatur Capellanus, seu Beneficiarius, quem ipse, atque hæredes & successores sui, vel Episcopus loci, ad nutum amovere valeant. Pyrrhus Corradus lib. 1. Praxi Beneficiar. cap. 6. n. 269. Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 2. n. 72. Gonzalez cit. §. 6. num. 8. & alii, concorditer docentes, quòd Beneficia secularia ex fundatione possint esse temporalia, seu manualia, & ad nutum revocabilia. Quin in d. loquendo de Capellanis jurispatronatus, magis expedire censet Navarrus Consil. 9. n. 2. de Offic. Ordinar. & Card. de Luca de Jurispatronat. discurs. 15. num. 3. quòd erigantur manualia potius, quam perpetua Capellanæ: quia sic magis, ob timorem amotionis, compelluntur Capellani ad implenda debita onera, vitamque Clericalem agendam.

43 Additur notanter in data definitione, ad nutum conferentis &c. Hoc est, ad liberam ipsius & absolutam voluntatem, & non necesseriò regulatam: id enim importat ly, ad nutum. Garcias cit. cap. 2. num. 85. Pyrrhus Corradus d. cap. 6. n. 270. & seqq. & alii. Unde, qui habet facultatem amovendi Capellanum ad nutum, non tenetur ad observantiam Juris. Felinus cap. 1. de Constitutione. num. 51. vers. Et si dicitur, committitur voluntati tuæ, &c. citans alios. Potestque etiam absque causa amovere Capellanum (cessante tamen malitia) & alterum præferre. Garcias loc. cit. num. 85. & 88. Pyrrhus Corradus n. 273. Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 80. num. 5. asserens, ita perpetuò tenuisse Roman; ut Decis. 778. part. 2. Divers. & aliis sæpè. Barbosa part. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 6. n. 65. hoc intelligens, quando non subest alia malitia, sive odium. Gonzalez cit. gloss. 5. §. 6. num. 45. & 47. illud limitans num. 40. & seqq. dummodo id non fiat cum præjudicio aliorum interesse habentium. Alioquin enim, licet taliter amotus non audiret pro interesse suæ personæ (nam removens ipsum à Beneficio ad nutum revocabili, nititur jure suo; sicque non facit ipsi injuriam, l. Injuriarum actio §. 1. ff. de Injuriis. & l. Nullus videtur. ff. de Reg. Jur. (adhuc tamen

tamen alii interesse habentes possent contradicere tali amotioni: ut puta, si ex tali amotione Capellani graviter lædatur locus, sive communitas, carens exitu bono Pastore animarum suarum; de quo plura Gonzalez loc. cit.

44 In dubio Beneficia secularia censentur perpetua: Beneficia regularia verò sunt mandata, & ad nutum Superiorum amovibilia, nisi sint electiva, vel curata. Ita Card. Tulechus Litt. B. Concl. 55. Fagnanus c. Ad aures, num. 19. de Temporalib. Ordinat. Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 97. num. 3. & 4. Garcias cit. part. 1. de Benefic. cap. 2. num. 66. & 70. & seqq. Gonzalez d. gloss. 5. §. 6. n. 6. & 7. Pyrrhus Corradus, ubi supra cap. 2. num. 262. & alii. Et quidem, quòd facultaria Beneficia ex sua natura sint perpetua, & consequenter in dubio, ac nisi secus probetur, præsumuntur talia: desinitur ex can. Præcepta. dist. 55. & cap. 1. ac seqq. de Clerico agrotant. ubi Clerici debilitati nequeant amoveri à Beneficiis suis, ne forte ceteris, tali exemplo detrectis, amplius non reperirentur, qui militarent Ecclesiæ. Concordant dicta superius §. 1. n. 8. & 9.

47 Additur tamen, in dubio. Nam quòd Beneficia secularia ex primæva Fundatorum intentione possint esse manualia, & ad nutum revocabilia, proximè, seu num. 44. jam dictum est. Notat quoque Navarrus Consil. 9. num. 1. & seqq. de Offic. Ordinar. & Consil. 27. de Præbendis. ac post ipsum Gonzalez cit. gloss. 5. §. 6. num. 62. Pyrrhus Corradus lib. 1. Praxi Beneficiar. cap. 6. n. 287. quòd Episcopus jussu de causa, & accedente consensu Patroni, possit Beneficium simplex perpetuum, puta Capellaniam, efficere manuale, & ad nutum ipsius Patroni revocabile.

48 Deinde, quòd respectu Summi Pontificis omnia beneficia Ecclesiastica etiam de sui natura perpetua, censentur manualia; probat textus in c. Licet Ecclesiasticum. 2. de Præbendis. in 6. & Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente &c. ac notat Gonzalez cit. §. 6. n. 24. Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 97. n. 24. Fagnanus c. Quamvis. n. 38. de Translat. Episcop. allegans quàmplures alios. Unde Beneficia perpetua secularia, possunt per Papam (non verò per inferiorem) ad tempus concedi, c. Si gravatos. §. de Rescriptis. in 6. Et eorundem Beneficia manualia, conferri in perpetuum; expressè tamen manualitate. Pyrrhus Corradus cit. cap. 6. num. 288. 289. & seqq. Adeo, ut si Papa confirmaret provisionem factam alicui Beneficio manuali, aut isplemet conferret, sciens esse manuale, tunc durante vita Provisi non possent per Inferiorem revocari. Joann. Andreas c. Præfati. num. 2. & Geminius ibid. de Offic. Ordinar. in 6. Gonzalez d. gloss. 5. §. 6. num. 25. citans alios; & Pyrrhus Corradus, ubi supra n. 298. istud notabili casu exemplificans.

49 Intelligit, quando Papa in perpetuum contulit Beneficium seculare manuale, expressè hujusmodi manualitate, seu hic præcognita. Nam in quacunque dispositione de Beneficio manuali seculari, de hujus manualitate oportet facere mentionem, ut evitetur subreptio: alioquin enim hæc non expressè, ac sante dubio, Papa simpliciter conferendo, non censetur voluisse alterare statum, naturamque Beneficii, efficereque perpetuum, quòd erat manuale. Pyrrhus Corradus loc. cit. n. 291. & 292. allegans Lotteriam lib. 1. q. 33. nu. 58. & seqq. ac vnum Dataricæ Apostolicæ. Gonzalez d. §. 6. n. 28. cum aliis.

50 Utitur ex privilegio, vel statuto per Sedem Apostolicam confirmato, possunt Beneficia secularia perpetua fieri manualia. Gonzalez d. Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 6. num. 8. & 59. citans alios. Idem Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

que dicendum de consuetudine legitime præscripta: siquidem Beneficium ex sua natura perpetuum, posse ex consuetudine legitime præscripta fieri manuale, probat textus in c. Cum de beneficio. 5. de Præbendis. in 6. ac notat Gonzalez cit. gloss. 5. §. 6. nu. 38. cum aliis.

51 Nec obstat, quòd Beneficia manualia, de consuetudine non possint fieri perpetua; puta, quia Abbas Priorum, vel Episcopus Clericum, habentem duntaxat Beneficium manuale, nunquam revocavit ultra quadraginta annos, non ideo istud evadit perpetuum: prout notat Abbas c. Ad nostram. n. 11. & Decius ibid. num. 6. de Confirmat. util. Resp. enim, istud ex eo contingere: quia non revocare aliquem, aut eum à Beneficio non revocare, est actus meræ facultatis: atqui ex actibus meræ facultatis non potest induci consuetudo, l. Qui jure familiaritatis. ff. de Acquirend. possess. cum similibus; ergo.

52 Resp. III. Etsi Beneficia manualia, seu ad nutum revocabilia, verè & propriè beneficia non sunt: dantur tamen nonnulli casus, in quibus ista nomine beneficii Ecclesiastici veniunt. Ita Fagnanus c. Ad audientiam. num. 118. de Rescriptis, dicens, quòd in materia favorabilis appellatione Beneficii includuntur etiam Beneficia manualia, quæ tamen verè & propriè non sunt Beneficia; uti tenet Staphileus de Litteris gratiæ, nonâ formâ Expectativæ. num. 94. Gambarà de Offic. Legar. lib. 4. rub. 1. n. 1. Ludovic. Gomez de Expectativæ. n. 94. Duranus in Tract. de Beneficiis. lib. 2. cap. 4. & alii. Id ipsum, quantum attinet primam partem datæ Conclusionis, tradit Navarrus Consil. 9. num. 2. de Offic. Ordinar. & Consil. 27. n. 3. de Præbendis. inde inferens, quòd Capellaniam desinat esse Beneficium, si auctoritate Ordinarii, ac de consensu Patroni laici, ex perpetua fiat manualis, & ad nutum amovibilis: Quia (inquit) beneficium debet esse perpetuum. Concordat Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 6. num. 38. post Rotam in Salamantina Vicariæ. 15. Maii 1596. coram Card. Blanchetto, & alios docens, Vicariam temporalem non esse beneficium. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 3. nu. 25. & cit. gloss. 5. §. 6. nu. 21. Vallensis h. t. §. 2. num. 16. & alii, asserentes, Beneficia manualia, propriè beneficia non esse, quia non sunt jura perpetua; prout requiritur ad rationem Beneficii propriè dicti, juxta dicta superius §. 1. num. 8. & 9. Quidquid in contrarium tenet Azorius part. 2. lib. 3. cap. 26. quest. 12. & Garcias part. 1. de Benefic. cap. 2. num. 65. & 77. ac seqq. qui cum nonnullis aliis volunt, Beneficia manualia esse verè, propriè, ac simpliciter beneficia: neque de essentia Beneficii esse, quòd sit perpetuum.

53 Dices. Dantur Ecclesiæ, etiam Parochiales, Monasteriis pleno jure incorporate, quæ non conferuntur in perpetuum, sed tantum Vicariis temporalibus, seu ad nutum amovibilibus, Clem. 1. junctâ Glossâ §. Ad mansum. in fin. de Executib. Prælat. Danturque Ecclesiæ etiam Parochiales, perpetuò unitæ alicui Capitulo, vel Dignitati, aut Prælaturæ, seu etiam Episcopatu; quæ conferuntur Vicariis, duntaxat temporalibus, ac per istos cura geritur animarum. Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 80. num. 16. Atqui tales Ecclesiæ, præsertim Parochiales, sunt Beneficia simpliciter, ac propriè dicta; ergo. Resp. majoris dignitatis gratiâ, disting. Min. Atqui tales Ecclesiæ &c. sunt Beneficia simpliciter, ac propriè dicta, & ratione suæ prioris perpetuæ collationis, seu incorporationis Monasterio, vel Capitulo &c. factæ; conced. Alia ratione, sive ob constitutionem temporalem Vicarii, curam animarum exercentis, neg. min. Siquidem, ut observat Card. de Luca cit. Discurs. 80. de Benefic. num. 16.

& Ludov. Engel h. t. num. 1. vers. Dico. 2. in tali casu Rector principalis Ecclesie dicitur ipsemet Episcopus vel Capitulum, seu dignitas, aut Abbas Monasterii, cuius vicis constitutus Vicarius temporalis gerere dignoscitur: sicque talis Ecclesia, incorporata Mensa Episcopali, Capitulo, Monasterio, &c. verè erit Beneficium propriè dictum, utpotè Rectori principali tribuens jus perpetuum. Vicarius temporalis verò in eodem constitutus, & ad nutum amovibilis, habet se ad instar Familiæ conductivi (ut loquitur Card. de Luca cit. n. 16.) sive Mercenarii, qui ab Ecclesie Prælati, sub assignatione congrui stipendii ad tempus assumitur ad peragendam curam animarum, & alia Officia spiritualia. Vide dicta superius Lib. 1. Tit. 28. De Officio Vicarii. §. 2. num. 45. & 46.

54 Altera pars Conclusionis; nimirum Beneficia manualia in nonnullis casibus nomine Beneficii Ecclesiastici venire, probatur inductione. Sic quippe id contingit in materia favorabili. Fagnanus cit. c. Ad audientiam. n. 118. de Rescript. postea numer. 120. subjungens, quòd distinctionem inter materiam odiosam, & favorabilem, in proposito sèpitis probaverit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Hujus exemplum refertur §. seq. num. 97. & 98. loquens de pensione, estque applicabile ad Beneficium manuale, quod habet Clericus Minorista, gavilurus proinde privilegio Fori.

55 Deinde, Beneficia manualia continentur in dispositionibus edictis ob publicam utilitatem; juxta Decisionem Rotæ 26. Januar. 1533. in una Aquil. quam citat Flaminus Parisus tract. De Confidentibus Beneficialibus, quest. 18. num. 18. Unde, quòd in illis committatur simonia confidentialis, sicut in cæteris Beneficiis, eò quòd confidentia fuerit prohibita ob publicam utilitatem; tradit idem Parisus cit. num. 18. & Pyrrhus Corradus lib. Praxis Benefic. cap. 6. num. 286. Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 2. num. 69.

56 Tandem; ut nonnulla alia his similia taceantur, licet Beneficia manualia non sint propriè dicta Beneficia Ecclesiastica, neque nomine Beneficii veniant, saltem in materia odiosa: nihilo minus de consuetudine, & stylo Curie Romanæ, praxique Cancellariæ Apostolicæ observatur, ut ad evitandam subreptionem Rescriptorum Beneficialium, in impetratione cujusvis Beneficii, faciendâ sit mentio præhabiti Beneficii manualis, sive amovibilis ad nutum Superioris. Felinus c. In nostra. numer. 18. de Rescript. post Calderinum Consil. 9. de Rescript. Menochius de Arbitrar. Judic. lib. 2. cas. 201. n. 46. citans Rotam, referent Cassiodoro decis. q. de Præbend. Garcias cit. lib. 1. de Beneficiis, cap. 2. n. 80. Pyrrhus Corradus, ubi supra, cap. 6. num. 291. Fagnanus c. Ad audientiam. num. 94. & 116. de Rescript. citans plures alios, ac Rotam in causa Seguntina, Thesauraria. 29. April. 1596. coram Orano. Et ratio hujus consuetudinis, seu styli Curie Romanæ, videtur esse: Quia non ita facile Papa videret ei de Beneficio, quem novit habere Beneficium manuale, aut Pensionem autoritate Episcopi sibi constitutam: ac illi, qui nihil habet de fructibus Ecclesiasticis, arg. c. postulasti. 27. & c. In nostra. 32. & c. Si proponente. 42. de Rescript. & can. Clericos. & can. Pastor. 1. quest. 2. cum similibus.

## §. III.

Quid sit Canonica, Vicariatus, Commenda, Præstimonium, ac Pensio: & an hæc veniant nomine Beneficii Ecclesiastici?

## SUMMARIUM.

- 57 Canonica (vulgò, Canonicatus) quid? Præbenda, & Canonicatus Præbendarius, quis? Ibid.
- 58 Jus, quod præbet Canonica, in quo consistat? Et num. seq.
- 59 Canonicus, quamprimum facultas se obtulerit, debet conferri Præbendam.
- 60 Canonica sine Præbenda, an, & quando dari possit? Ibid.
- 61 Solvitur instantia contra simplicem Canoniam. Et num. præced.
- 62 Canoniam sub expectatione Præbende consecutus, strictè loquendo non censetur habere Beneficium.
- 63 Is tamen, si Rescriptum pro assensione Beneficii alterius Ecclesie impetrare velit, tenetur mentionem facere præhabite Canonice: & cur? & num. seq.
- 64 Simplex Canonica præbet jus ad Beneficium postea consequendum.
- 65 Injustè spoliatus suo Beneficio, tenetur in impetratione alterius de eo facere mentionem.
- 66 Vicaria Ecclesie, quis?
- 67 Vicaria alta temporalis, alia perpetua, sicut & Vicarius Ecclesie.
- 68 Vicaria temporalis non est propriè dictum Beneficium, bene tamen Vicaria perpetua.
- 69 Vicarii perpetui Ecclesiarum, in pluribus æquiparantur Parochis.
- 70 In Beneficiis curatis, quæ sunt perpetuè unita Cathedrali, vel Collegiæ Ecclesie, vel Monasterio, regulariter constituuntur Vicarius perpetuus &c.
- Ex multiplici mutatione Rectorum, Ecclesia patitur detrimentum. Ibid.
- 71 Capellaniam, quid, & an veniat nomine Beneficii?
- 72 Capellaniam erecta sine autoritate Episcopi nullo modo est Beneficium Ecclesiasticum. Nec est quid spirituale, sed duntaxat temporale: aded, ut pactum circa eam interveniens, non sit simoniacum. Ibid.
- 73 Commenda, & Commendatarius, quid?
- 74 Olim Commendæ dabantur ab Episcopis, & ad sex menses: nunc solum esse perpetuæ, & a solo Papa conferri.
- 75 Ille principaliter sibi in bonum Ecclesie: Commendæ modernæ verò in bonum personæ.
- 76 Commendatarius olim fructus non faciebat suos: secus de factis, & cur?
- 77 Commendæ antiquæ non habebant rationem Beneficii propriè dicti.
- 78 Aique olim vi poterant conferri duæ Ecclesie: una in titulum, altera in commendam.
- 79 Commendæ perpetuæ nostri temporis, æquiparantur Beneficiis propriè dictis.
- 80 Præstimonium, quid?
- 81 Præstimonium ex sua institutione nullum servitium in Ecclesia habere solet &c.
- 82 Si dantur duntaxat ad certum tempus in vitæ subsidium, puid, pro tempore studiorum, non sunt Beneficia propriè dictum.
- 83 Bene tamen, quando conferuntur in titulum, ac in perpetuum.
- 84 Pensio ut sit, quid?
- 85 Dividitur in Laicalem, & Clericalem seu Ecclesiasticam.
- 86 Pensio Clericalis est duplex: una, quæ assignatur in titulum Beneficii.

87 Solvi-

## §. III. Quid sit Canonica, Vicariatus, Commenda, &amp;c. 77

- 87 Solvitur instantia contra hoc membrum.
- 88 Alia, quæ simpliciter constituitur ad tempus de fructibus Beneficii. Hæc nomine Pensionis (nisi secus exprimat) communiter intelligitur. Ibid.
- 89 Clericus habens Pensionem &c. tenetur recitare Officium parvum B. Mariæ Virginis.
- 90 Pensio cuiuspiam collata in titulum, est verum & propriè dictum Beneficium. Et num. seq.
- 91 Non est vis in nomine, quando constat de re.
- 92 Pensiones constitutæ ad tempus, in materia odiosa non veniunt nomine Beneficii: bene tamen in materia favorabili. Et num. seq.
- 93 Probatur, in materia odiosa nomine Beneficii non venire Pensionem.
- 94 Præsertim ex stylo Concilii Tridentini. Beneficium ante decimum quatuor ætatis annorum acquiri non potest; bene tamen Pensio. Ibid.
- 95 Beneficia, & Pensiones, an inter se æquiparentur? Ly. Aliud, non est repetitivum similitum, quando per alia Jura sic declaratur. Ibid.
- 96 Subrogatum sapit naturam ejus, in cuius locum subrogatur: quomodo intelligendum?
- 97 Pensionem in materia favorabili venire nomine Beneficii, declaravit Gregorius XIII.
- 98 Et ratio hujus. An num. præced.
- Beneficia manualia in materia favorabili, includuntur nomine Beneficii. Ibid.

57 Quæritur I. Quid sit Canonica, & an veniat nomine Beneficii? Resp. I. Canonica (vulgò, Canonicatus) est jus spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive Canonicum. Ita Innocentius in c. cum M. §. Canonicos. de constit. Calvinus in Lexico Jurid. §. Canonica. & Nebrisenfis in Vocabular. Jurid. eod. §. Canonica. & alii. Nam, si quis simpliciter in Canonicum receptus fuerit, antequam redditus Canonice eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere Canoniam, hoc est, Canonicatum; nondum vero Præbendam. Siquidem Præbenda ulterius importat jus ad percipiendum fructus annuos Canonice, sive debitos ex titulo juris Canonialis. Unde qui habet utrumque, is Canonicus Præbendarius appellatur, can. Sanctorum. dist. 70.

58 Porro jus illud spirituale, quod præbet Canoniam, consistit imprimis in jure habendi in Choro sedem (vulgò Stallum) & vocem in Capitulo. Quamquam vox in Capitulo, juxta Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 4. de Reform. non concedatur, nisi habentibus Sacrum Ordinem Subdiaconatus: imò ex consuetudine plurimum Ecclesiarum tum Cathedralium, tum Collegiarum, tunc primum concedi soleat, quando quis absolvit Residentiam primi anni. Engel h. t. n. 1. vel etiam actu jam habet præbendam, fruendo videlicet redditibus sui Canonice. Circa quod proinde attenduntur particularæ singularium Ecclesiarum Constitutiones, & consuetudines laudabiles.

59 Deinde illud jus spirituale, importatum per Canoniam, consistit in hoc, ut quamprimum facultas sese obtulerit, Canonicus eandem legitime obtinendi etiam conferatur Præbenda, seu competens portio fructuum Canonicalium. Textus est in c. Relatum. 9. h. t. ibi: Quia non est congruum, ut Præbendâ (vacante, vel proxime vacaturâ) careat, qui in canonicum noscitur esse receptus. Concordat c. Dilectus. 19. eod. & c. Cum M. 9. de constit. cum similibus.

60 Nec dicas. Si congruum non est, ut Præbendâ careat, qui est receptus in canonicum; ergo hoc Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

ipso nequit dari simplex Canonica. Ut quid igitur de ipsa inutiliter fit mentio? Resp. neg. seq. saltem loquendo in casu, quo necdum suppetit facultas omnibus in Canonicis receptis conferendi Præbendam, seu redditus Canonicales ob horum modicitatem. Tunc posse dari Canoniam sine Præbenda, aperte convincunt Jura proxime citata, ut pote de talibus casibus loquentia: dummodò cateroquin cesset omnis fraus; atque pactio iniqua vel simoniaca. Qualis simoniaca pactio foret, si quis ex cupiditate habendi Canonicatum, renunciet juri petendi Præbendam: sic enim remitteretur jus temporale sibi competens ad percipiendum redditus, ut obtineretur spirituale, nempe Canonica; quæ foret vera pactio simoniaca, ut c. Per tuas nobis. 37. de Simonia. Alioquin verò Jus non impugnat, ut quis sit Canonicus sine Præbenda, si aliis potest sustentari, imò laudat; prout loquitur Abbas c. Cum M. num. 16. & 17. de Constit. Et addit ratione: quia utile est Ecclesie, habere plures Canonicos, & defensores, arg. can. Obvenitibus. dist. 63. Id ipsum comprobatur antiqua, receptaque praxi plurimum Ecclesiarum, tum Cathedralium, tum Collegiarum, in quibus dantur Canonici habentes solam Canoniam absque Præbenda, & voce in Capitulo: prout simile quid antiquitus fuisse prædicatum, legitur in c. Cum M. 9. de Constit. & c. Relatum. 9. de Præbend. & c. Dilectus. 19. eod.

Dices. Hæc praxis repugnat Concilio Generali, 61. relato in c. Nulla. 2. de Consec. Præbend. & c. Detestanda. eod. in 6. ubi reprobat quavis collatio, vel promissio Beneficii vacaturi; ergo. Respondet Glossa in c. Dilectus. 19. §. Illicite. in Addit. h. t. ibi reprobari solummodo receptionem ad vacaturas (hoc est, promissionem Beneficiorum imposterum vacaturorum) non verò simplicem receptionem ad jus Canonice. Quod intellige, dummodò sic receptus ad jus Canonice, postea conferatur etiam Præbenda, seu actualis fructuum perceptio, quamprimum se facultas obtulerit: prout amplius declarabitur infra Tit. 8. De Consecione Præbendæ. §. 2. n. 23. 26. 28. & seqq.

Resp. II. Canoniam sub expectatione Præbendæ consecutus, propriè ac strictè loquendo non censetur habere Beneficium. Ita Abbas c. In nostra. 32. n. 1. & Layman ibid. n. 1. de Rescript. Engel h. t. n. 1. & alii, contra Lud. Romanum Consil. 447. & Annotationem ad Abbatem lo. cit. §. Ego puro. Conclusio nostra desumitur ex cit. c. In nostra. de Rescript. ubi de receptis per Literas Apostolicas in Canonicos, dum Præbendam nondum habent, sed primum expectant, dicitur, quòd nondum in eis (Ecclesiis) Ecclesiasticum beneficium sicut consecutus. Id ipsum confirmatur ex ipsamet Beneficii Ecclesiastici definitione, quæ dicitur esse jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter Officium spirituale &c. Quale jus nondum importat simplex Canoniam. Et sic potius (inquit Abbas cit. n. 1.) ipsa Præbenda, quam jus Canonice, vocatur Beneficium Ecclesiasticum. Quin imò Canonicus sine Præbenda, dicitur Canonicus in herba; prout loquitur Additio ad Abbatem, ubi supra, §. Sine præbenda, citans Jo. Andream in c. Relatum. 9. & c. Dilectus. 19. h. t.

Resp. III. Nihilominus simpliciter receptus in 63 Canonicum cum expectatione Præbendæ, si alius Literas à Papa impetrare velit pro assensione Beneficii alterius Ecclesie, tenetur in sua supplicatione expressam mentionem facere de præhabita simplici Canoniam sua: alioquin Rescriptum nullam istius mentionem faciens censetur nullum, & subreptitium. Ita textus notabilis in cit. c. In nostra.

G 3

32 de

32. de Rescript. ubi Summarium breviter sic loquitur: *Receptus per litteras Apostolicas, licet præbendam expectet; per alias litteras hoc supprimentes in alia Ecclesia recipi non debet*: atque amplius tradit Glossa *ibid. §. Mentionem*. & Abbas n. 1. & 2. & Barbosa in *Collectan. n. 1.* allegans alios; & sequitur Layman d. c. in *nostra. n. 2. & 3.* & Pirhing n. 70. de Rescript. Accedit ratio: quia Canoniam præbet jus ad rem, respectu Præbendæ impossibilitatem percipiendæ; quin imò propter jus Canoniam, in brevi quis Beneficium, ipsamque Præbendam consecutus est: ac proinde propter bonas litteras Apostolicas Canoniam conferentes, consequeretur quis in brevi duplex Beneficium propriè dictum, unà cum Præbenda seu fructibus utriusque. Atqui Papa non intendit ullo modo eidem providere de pluribus Beneficiis, nisi istud exprimat; ut c. *Cum aded. 17. de Rescript. Et. Cum teneamur. 6. h. t.* Etiam si prius Beneficium foret quantumcumque modicum, c. *Si motu. 23. h. t. in 6. ergo.*

64 Unde non obstat, quòd simplex Canoniam non sit Beneficium strictè loquendo. Quia saltem præbet jus ad Beneficium propriè dictum postea consequendum: unde necessario debet exprimi in impetratione Rescripti ad aliud Beneficium, ne alioquin quis consequeretur à Papa duplex Beneficium non factà mentione de priori; contra Jura proximè allegata, & contra Reg. 84. Juris in 6. *Cum quid unà viâ prohibetur alicui, ad id alià non debet admitti*: purà, ad acquisitionem secundi Beneficii mediatis litteris Apostolicis, non factà mentione de priori.

65 Addit Abbas *cit. c. In nostra. n. 10.* & Layman *ibid. n. 3. de Rescript.* quòd etiam ille, qui injusè spoliatus fuit ius Beneficio, teneatur in impetratione alterius de eo facere mentionem. Rationem dant. Tum quia per injusam spoliationem non perdit quis titulum beneficii, sed solummodò possessionem ejus; ut c. *Conquerent. 7. de Restitut. spoliar. junctà Reg. 15. ff. de Reg. Jur. qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur*. Tum quia juxta *cit. c. In nostra. de Rescript.* in impetratione litterarum Papalium ad beneficia, debet fieri mentio de jure quæsito ad rem respectu alterius Beneficii: ergo etiam, & quidem à fortiori, debet fieri mentio de jure quæsito in re, seu in beneficio, quò postea quis injusè fuit spoliatus.

66 Quæritur III. Quid dicendum sit de Vicaria, & Capellania; & an sit Beneficium propriè dictum? Ubi prænotandum, quòd Vicarius Ecclesiæ dicatur Presbyter ille, qui vice principalis Rectoris deseruit Ecclesiæ: ut si Ecclesia, seu Parochia (juxta formam Concilii Tridentini *Sess. 7. cap. 7. de Reform. & Sess. 24. cap. 13. & 15. de Reform.*) Ecclesiæ Cathedralis, Capitulo, Monasterio, aut aliis pnis Locis perpetuò incorporata fuit; tunc Presbyter, qui unà cum assignatione competentis portionis fructuum dicti Beneficii, illuc ponitur ad peragendum necessarium Ecclesiæ, seu Parochiæ servitium Ecclesiasticum, propriè non dicitur Parochus, seu Vicarius, seu habere Vicariam. Quæ prænotato

67 Resp. I. Vicaria alia est temporalis, quando nimirum Vicarii sunt solum ad certum tempus destinati, vel aliàs ad nutum amovibiles. Alia Vicaria est perpetua, quæ confertur cum Canonica institutione, seu investitura, ac crectione tituli Vicariæ. Unde & Vicarii in eisdem instituti dicuntur *perpetui*, habentque verum titulum; atque idcirco semel canonice instituti, nequeunt amplius amoveri, vel portione suâ privari: nisi forsitan aliquod committant dignum depositione, aut privatione beneficii, c. *Ad hæc. 3. de Offic. Vicarii.*

Resp. II. Vicariæ duntaxat temporales non sunt Beneficia propriè dicta, seu de quibus Sacri Canones loqui solent: cum de natura Beneficii propriè dicti sit, ut institutum perpetuò duret, *can. Sanctorum. dist. 70. junctis dictis supra §. 1. n. 8. & 9.* atque canonice collatum amplius auferri non possit, nisi in casibus à Jure permisis. Secus dicendum de Vicariis perpetuis: hæ enim equiparantur Beneficiis, & appellatione Beneficiorum veniunt, per textum expressum in c. *Postulasti. 27. de Rescriptis*, ibi: *Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuè Vicariæ provenibus est provivum &c.* ac notat Glossa *ibid. §. Beneficium*, & communis Doctorum.

69 Quinimò Vicarii perpetui Ecclesiarum Parochialium in pluribus equiparantur ipsis Parochiis, juxta textum expressum in *Clem. un. de Offic. Vicarii*, ibi: *Quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus, per receptionem altarium similitur amittendis; ac de ipsarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium; & de eorum ætate, à Jure statuta noscuntur: in perpetuis Ecclesiarum Parochialium Vicariis, & assumptis ad eas, volumus observari*. Hæc ibi. Verum de hoc vide dicta superius *Lib. I. Tit. 14. de Ætate, & qualitate, & Ordine Praeficiendorum. n. 29. 30. & seqq.*

Porro in beneficiis Ecclesiasticis curatis, quæ sunt perpetuò unita cuiuspiam Cathedrali, Collegiata, seu alteri Ecclesiæ, aut Monasterio, regulariter solet constituì Vicarius perpetuus cum assignatione congruæ portionis fructuum, pro animarum curâ debè peragenda: nam ex multiplici mutatione Rectorum, non modicum Ecclesia recipit detrimentum. Rota *Decis. 24. n. 1. ante fin. de Præbend. in novis.* Gonzalez ad Reg. 8. *Cancel. gloss. 6. num. 206.* Quòd intellige conformiter Concilio Tridentino *Sess. 7. cap. 7. de Reform.* ubi istud limitatur illis verbis: *Nisi ipsis Ordinariis, pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur*. Insuper dari nonnullos casus, in quibus nequit Episcopus constituere Vicarium perpetuum, jam dictum est supra *cit. Lib. I. Tit. 28. de Officio Vicarii §. 2. n. 28.* in quo Paragrapho plura habentur de Vicariis perpetuis, ac temporalibus à ibidem videnda.

71 Resp. III. Loquendo nunc de Capellania (hoc est, de Beneficio simplici fundato in Capella, seu Ecclesia quapiam cum autoritate, atque consensu Episcopi) si hæc fuerit perpetua, & concessa in titulum, venit nomine Beneficii propriè dicti: aliàs secus; demptis nonnullis casibus, paulò superius *num. 54. 55. & 56.* jam expressis, atque servatâ proportionem huc applicandis. Unde Fagnanus c. *Ad audientiam. n. 120. de Rescript.* non immerito dicit, *Capellaniam desinere esse beneficium, si ex perpetua fiat ad nutum amovibilis.*

72 Additur notanter, cum autoritate, atque consensu Episcopi. Nam si aliqua Capellania erigeretur, seu fundaretur sine autoritate Episcopi, vel alterius Superioris Ecclesiastici, nullo modo ea foret Beneficium Ecclesiasticum; sed duntaxat pia quædam donatio, vel legatum pium, juxta dicta superius *num. 14. & seqq.* Adò quidem, ut in talibus Capellanis Episcopus non haberet jus instituendi, vel visitandi, nec aliud jus Diocesanaum. Gonzalez ad Reg. 8. *Cancel. gloss. 5. n. 35. post Parium Consil. 34. n. 9. & 11. ac seqq. lib. 4.* Et si ratione talis Capellanæ interveniat pactum abique autoritate Superioris, puta Papæ, istud non erit simoniacum: siquidem Capellania illa esset duntaxat quid laicale, & temporale, juxta superius dicta *num. 15. & 16.* non verò beneficium Ecclesiasticum, neque aliquid spirituale autoritate Episcopi constitutum, Rota *Decis. 365. num. 2. part. 2. Divers. Gonzal-*

Gonzalez *cit. gloss. 5. n. 25.* ad propositum referens notabilem casum, in ejus decisione per tres conformes sententias ita judicatum fuit.

73 Quæritur III. Quid sit Commenda, & an Beneficium propriè dictum? Resp. I. cum Glossa in c. *Nemo. §. Commendare. de Election.* in 6. quòd Commenda sit custodia Ecclesiæ alicui commissa. Unde *Commendatarius* dicitur ille, qui accepit Ecclesiam in Commendam, seu custodiam ejusmodi.

74 Et olim quidem Commendæ ad sex menses, & non ultra, in Ecclesiis curatis pro earundem evidentia necessitate (purà, quando vacarunt) aut utilitate fieri poterant ab ipsismet Ordinariis, juxta *cit. c. Nemo. de Election. in 6.* Verum tamen istud de facto, seu post Concilium Tridentinum, amplius locum non habet; cum in Ecclesiis curatis vacantibus debeant deputari Vicarii, juxta formam à Tridentino Concilio *Sess. 24. cap. 18. de Reform.* assignatam; prout à Sacra Congregatione decemum refert Barbosa in *Collectan. ad cit. cap. 18. num. 36.* & Fagnanus in c. *Dudum. il. 2. n. 44. de Election.* Hodie etiam Commendæ solent esse perpetuæ: & non nisi à Papa conferuntur personis qualificatis, ac benè de Ecclesiâ meritis, ut ex fructibus Beneficii commodius sustentari valeant.

75 Est insuper differentia inter commendas antiquas, seu olim ab Episcopis ad sex menses concessas; & inter modernas, seu in perpetuum, & à solo Papa personis benè meritis, & qualificatis conferri solitas: quòd illæ principaliter fiebant in bonum Ecclesiæ, ut interim Beneficium à Commendatario administraretur, donec Rector idoneus fuisset institutus: quòd ipsum nunc per Vicarium, cum congrua fructuum portionis assignatione constitutum præstat, juxta Decretum Concilii Tridentini *cit. Sess. 24. cap. 18. de Reform.* Commendæ verò nostri temporis, solum à SS. Pontifice in perpetuum concessæ, non sunt principaliter in favorem Ecclesiæ (quæ imò hæc graviter lædunt Monasteria tam in temporalibus, quam spiritualibus; uti notat Fagnanus c. *Cum ad nostram. n. 14. de Election.*) sed conceduntur principaliter in favorem personæ, seu Commendatarii, ut videlicet ex fructibus ejus commodius sustentari valeat.

76 Deinde Commendatarius olim fructus non faciebat suos: quia erat tantum custos Ecclesiæ sibi commendatæ, bonorumque ipsius: unde non habebat jus in Ecclesia, neque in fructibus ejus, nisi ad colligendum, & gubernandum, & providendum sibi ac ministris, & quod supererat, in utilitatem Ecclesiæ convertendum; uti notat Glossa *cit. c. Nemo. §. Commendare. de Election. in 6.* Secus est in Commendis modernis perpetuis, & à Papa concessis: hæ enim idè inventæ sunt, ut ij, qui sunt inhabiles ad obtinenda beneficia Ecclesiastica in titulum (qui est modus ordinarius, & legitimus obtinendi Beneficia) efficerentur habiles in tutum meritum suorum ad ea obtinenda per modum Commendæ (quæ est via extraordinaria, & tacite dispensativa) sicque eorum fructibus, quos faciunt suos, valeant commodius sustentari. Fagnanus *cit. c. Cum ad nostram. numer. 5. & 6. de Election.*

77 Resp. II. Commendæ antiquæ, seu quæ olim de Jure communi fuerant temporales, atque per Ordinarios locorum in Ecclesiis utilitatem principaliter concedebantur, non habebant rationem Beneficii propriè dicti. Ita communis; & ratio est clara: quia Commendæ antiquitus permittæ neque concedebantur in perpetuum, neque jus aliquod respectu Ecclesiæ, aut reddituum ipsius præbebant, sed meram custodiam: ac proinde definitio Beneficii propriè dicti, & *num. 6. ac seqq.* jam assigna-

ta, ipsi nequiquam convenit.

Unde & antiqui Canones, non obstant, quòd 78 Beneficiorum pluralitas eisdem semper fuerit invisâ, permittent, ut uni possent conferri duæ Ecclesiæ, una in titulum, & altera in Commendam. Textus est in *can. Qui plures. 21. q. 1. & c. Dudum. 54. §. Suggestit. de Election.* ibi: *Cum nullus potuerit plures Ecclesias Parochiales obtinere, nisi una penderet ex altera; vel unam intuituam, & alteram commendatam haberet, cum concordantis.*

79 Resp. II. Econtrà verò Commendæ perpetuæ quales nostro tempore per Papam dantur in utilitatem personæ, habent rationem & effectum tituli, atque equiparantur Beneficiis propriè dictis. Ita colligitur ex Concilio Tridentino *Sess. 7. cap. 2. & 4. & Sess. 24. cap. 17. de Reform.* ubi prohibetur quis habere plura Beneficia, etiam Commendata. Et hoc intellige, etiam unum haberet in titulum, & alterum in Commendam; prout notat, atque decemum testatur Fagnanus c. *Dudum. il. 2. n. 37. & seqq. de Election.* Accedit ratio: quia Commendæ hodiernæ, ex una parte sunt perpetuæ; ex altera verò parte tribuntur per percipiendi fructus Ecclesiasticos propter spirituale officium, sive ob custodiam Ecclesiæ exhibitam; conferunturque autoritate Ecclesiastica, nempe Papali, & quidem in perpetuum: ergo nihil ipsis deest, ad rationem Beneficii propriè dicti requirunt.

80 Quæritur IV. Quid sit Præstimonium, & an censetur esse Beneficium? Resp. I. *Præstimonium* vi nominis idem est, ac *Præstans munus*: uti notat Hostiensis c. *Postulasti, de Rescript.* & Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. cas. 201. num. 56.* cum aliis. In proposito tamen per *Præstimonium* seu *Portionem præstimoniale*, intelligitur stipendium, quòd ab Ecclesiasticis redditibus abstractum dari solet Canonice, vel aliis Clericis in vitâ subsidium, præsertim ubi litteris, seu studii operam impendunt. Menochius *cit. num. 56.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 2. cap. 5. num. 5. & 6.* cum aliis.

81 Ceterùm hujusmodi Præstimoniam, ex sua institutione, nullum servitium in Ecclesia habere solent: quamvis, si dentur in titulum perpetuum Beneficii, habeant annexum onus spirituale, recitandi videlicet Horas Canonicas. Garcias de Beneficiis, *part. 1. cap. 2. num. 117.* citans alios; & Azorius *part. 2. Institut. Moral. cap. 7. quest. 1. vers. In hac controversia*, dicens, quòd, qui *præstimoniam nunc habent, liberi sint ab onere, obligatione, & præcepto residendi in Ecclesia, quarum sunt præstimoniam, ita, ut nec per se, nec per alios in sui locum sufficiens, inservire ullo jure cogantur: quòd certè horum beneficiorum est proprium*. Hæc ille, postea *quest. 5.* amplius istud declarat.

82 Resp. II. Quando Præstimoniam, seu Præstimoniale portionem, dantur duntaxat ad certum tempus in vitâ subsidium, v. g. durante tempore studiorum, non sunt Beneficium Ecclesiasticum propriè dictum. Ita Menochius *cit. cas. 201. num. 57. & 60.* Layman *cit. cap. 5. num. 5. & 6.* citans alios; atque subjungens, hujusmodi Præstimoniales portionem non esse beneficia Ecclesiastica, sed *mera stipendia*. Azorius, ubi supra, alterens in hoc convenire omnes. Ratio est, quæ supra: quia videlicet de ratione beneficii Ecclesiastici est, tribuere jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ &c. Atqui tale jus perpetuum non tribuitur per Præstimoniam temporaliam, purà, ad tempus studiorum duntaxat concessa; ergo.

83 Resp. III. Quòd si verò Præstimoniam conferatur in titulum, atque in perpetuum; ita, ut cum obitu ejus, qui accepit, vacent (prout in Hispaniis communiter dari Præstimoniam, notat Fagnanus